ARCHIDOXIS EX THEOPHRASTIA PARA- CELSI MAGNI.

LIBER DECIMVS.

De Longa Vita.

Proœmium.
Medicinæ triplices
Conſeruatiuæ
Præſeruatiuæ
Curatiuæ.

QVVM igitur reperiantur Medicinæ, quæ ſanum corpus ad duas pluresq; ſenij ætates conſeruant: à morbisq;, infirmitatibus, putredine, ſuperfluitatibus, et à conſumptione præſeruant: Si quibus verò grauatum infirmitatibus fuerit, eas penitus tollunt: apprimè neceſſarium eſt Medico, huiuſmodi medicinas ſumma cum diligentia exquirere atq; funditus perſcrutari. Plurimi nanq; ſunt incurabilium, ac diuturnorum, morborum pariter et accidentium, qui omnes per conſeruationem longæ vitæ tolluntur penitus, et ab ipſa eorum origine prima extrahuntur. Quapropter cùm

Propoſitio. nobis animus ſit de præparanda vita longa ſcribere, duplex nobis orationis curſus inſtituendus eſt,

Partitio. vnus quo Theoricè rem expendentes loquamur, alter vt practicè de eadem diſſeramus.

THEORIA.
I. An ſit longa vita.

Hac itaq; via duplici ſuſtentationis longæ vitæ ratio intelligenda propo-